



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilium Apvd Montem Sanctae Mariae. In Qvo A Comprovincialibvs
Episcopis confirmatum est decretum Adalberonis archiepiscopi
Rhemensis, qui monachos in Mosomensi coenobio pro canonicis
collocarat, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO
CHRISTI
983.

CONCILIVM ROMANVM,

IN CAVSA GISELERI MAGDEBURGENSIS
episcopi secundi celebratum anno DCCCCXXCIII.
tempore Benedicti papæ VII.

N O T A.

Concilium.] Hoc tempore habitam fuisse Romæ Synodum, in qua inter alia agitata sit causa Giseleri Magdeburgensis episcopi, testatur Ditmarus libro 3. chron. Quod ait Giselerum malis artibus ab imperatore eam sedem obtinuisse, fidem nullam meretur; cum Adam probatae fidei antiquus chronographus libro 2. cap. 14. Giselerum virum sanctum & Vvinulorum apostolum nominet. Vide Baro- nium anno 983.

CONCILIVM APVD MONTEM

S A N C T Æ M A R I Æ.

IN QVO A COMPROVINCIALIBVS EPISCOPIIS
confirmatum est decretum Adalberonis archiepisco-
pi Rhemensis, qui monachos in Mosomeni cœno-
bio pro canonicis collocarat, habitum anno Christi
DCCCCXXCIII.

*Decretum Adalberonis archiepiscopi de reformatione cœnobii
Mosomensis, & monachis in eo constitutis.*

ADALBERO diuina propitiante clementia sanctæ Rhe- mensis ecclesiæ archiepiscopus. Notum fiat vniuersis cum præsentibus tum etiam futuris fidelibus, quondam nobis episcopio gratia Dei ac benignitate regia contra- dito, sanctorum quoque loca quædam honore integro re- perisse plurimum valentia, quædam vero pristinæ dignita- tis statu deficiente prorsus neglecta. Inter quæ, etiam ille Mosomi cœnobialis locus, antiquitatis studio certatim constructus, ab exordio scilicet sanctimonialium vitæ aptatus, postmodum vero canonicorum ordine ab Heri- ueo prædecessore nostro melius informatus, atque in honore sanctæ Dei genitricis Mariae digne consecratus, sed

nefandis vſibus vtrobique negligenter incultus , rebus
quidem partim subtraetis , partim vero intercurrentibus
malis, ſinistra ceflit fortuna. Quo igitur comperto , adhi-
bito fidelium noſtrorum diligenti consilio , liquido per-
pendens eumdem locum, pro mundi infelicitate, in cano-
nicali ordine ſtare non poſſe , aternorum ſpe , prout op-
portunum extitit , ibidem monaſticæ religionis vitam or-
dinato abbatē Ledaldo conſtitui , vt eiusdem loci religio-
fi cultores , tam rebus delegatis quam etiam forte dele-
gandis vtentes, continua vora Deo ſoluentes, ſint pro no-
bis , pro posteris noſtris , ceterisque ordinibus iugiter o-
rantes. Quocirca paternitatem loco noſtri ſubrogando-
rum in illa caritate enixius imploramus , quo ſub diuini
amoris respectu huius rei geſtae conducibili negotio con-
ſentaneæ pietatis faueant zelo, idque liberalis auxiliū inde-
ficienti baſe dignentur curriculis consolari atque fulcire :
vt ex eo gratiam Dei feliciter adipiſcentes, huius prætan-
tioris emolumenti mereantur fore conſortes. Sed & hoc
ex decretis ſanctorum patrum ſub auctoritate pastorali
omnimodis inhibemus , imo etiam cum diuini nominis
obteſtatione omnino interdicimus , ne vñquam huiusce-
modi ſtatutum qualibet temeritate ab vlo veftri ordinis
violetur : quin potius in reliquum ſtabile & inconcuſſum
iure perpetuo id ipsum venerabiliter conſeruetur. Si per
laicos in rem hanc iniuria inuehatur, in eos procul dubio
excommunicationis iaculum cum anathemate intorque-
tur. Anno igitur incarnationis Iefu Christi Domini noſtri
DCCCXXIII. prouinciali Synodo mense Maio gene-
raliter congregata apud montem ſanctæ Mariae in pago
Tardanensi , hoc decretum ſolenniter recitatum eſt co-
ram venerandis episcopis, abbatibus, ceterisque nonnullis
fidelibus , huic noſtræ institutioni pro aſſensu fauentibus,
imo etiam collaudantibus atque confirmantibus. Quo-
rum videlicet primus ego Adalbero iam præscriptus ar-
chipreful eidem Concilio Deo auctore pontificatus au-
toritate præſidens, manu noſtra ſubſcribens idem corro-
borau. Sed & ceteri non ſecus censuerunt manibus impo-
fitis ſolidari.

NOTA

NOTA IACOBI SIRMONDI
SOCIETATIS IESV.

^{Assy}
^{Cariss}
^{3/4}
Decretum Adalberonis.] Extat in appendice ad Flodoardum. Hic etiam, inquit, Adalbero Moſomense cœnobium a priori dignitate prolapsum in monasticum ordinem reformatum, eiusdemque reformationis tenorem, ne per succendentia tempora immutaretur, huiusmodi auctoritatis sue privilegio confirmauit.

ANNO
CHRISTI
984.

VITA

IOANNIS PAPÆ XIV.

JOANNES, qui antea Petrus nominabatur, ex episcopo Papiensi & archicancellario Ottonis secundi anno Christi 984. sub regno Ottonis tertii factus est Romanus pontifex, huius nominis decimusquartus. Quod cum Bonifacio VII. apostolicæ sedis inuasori, qui necato pontifice & expilata basilica Vaticana, ut supra dixi, Constantinopolim fugerat, innotuisset, simulque Ottонem imperatorem, qui suo hunc patrocinio defendebat, e vita deceßisse cognouisset, sedem iterum inuasurus Romanum rediit, cathedralm Petri inuolauit, & quem in ea sedentem inueniebat Ioannem, inde non tantum exturbauit, verum etiam vinculis alligatum in sancti Angeli munitionem, quæ a suorum factione detinebatur, magna cum tyrannide intrusit, detentumque ibidem mensibus quatuor, violentus & sacrilegus prædo tandem fame perire coegit: & ne quid illi qui partium imperatoris erant amplius sperarent, corpus extincti pontificis præ foribus munitionis Angelicæ ciuibus omnibus spectandum exhibuit. Illi vero dum intuitu macilenti cadaueris pontificem fame extinctum vidissent, & doluisse, venerandum corpus in basilicam sancti Petri delatum sepelierunt. Interea inuasor sedis, duorumque pontificum crudelissimus interfecto, parricida nefandus, & truculentus prædo Bonifacius antipapa Petri cathedralm, proh nefas, per tyrannidem occupauit. Post quatuor autem menses quibus sedem apostolicam violenter & iniuste detinuerat, vltore Deo punitus, morte repentina interiit.

Ioannes
XIV. quan-
do pontifex
factus.Bonifacius
VII. pseu-
dopapa
Ioannem
fame ene-
cat.Bonifacius
quamdiu
sedem ille-
gitime deti-
nuerit.
Obitus
Bonifacii
qualis.*Concil. Tom. 25.*

Dd